

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Strabonis Geographicorum [geographicorum] Lib. XVII**

**Strabo**

**Basileae, 1539**

[Initiale]

**urn:nbn:de:bsz:31-67095**

# STRABONIS

## GEOGRAPHICORVM

LIBER QVARTVS.



**E**INCEPS transalpina Gallia existit, cuius forma prius adumbratione quadam descripta est, pariter & magnitudo, nunc singula dicenda sunt. Quidam eam treis in partes diuisere, Aquitanos, Belgas, Celtasque nominatim appellantes. Aquitanos non modo lingua, sed etiam corporibus permutatos, Hispanis magis quam Gallis similes. Reliquos uero Gallica sanè facie, uerum eadem non usquequaquelingua omnes, sed plerisque paululum uariata. Rerum publicarum moderationes, & uiuendi formulæ paulisper immutatae. Aquitanos & Celtas eos appellabant, quos Pyrenæ monti adiacentes, Cemmenus mons determinat. Montes siquidem Pyrenæi hanc Galliæ partem ab occasu terminare dicuntur, mare utroque ex latere pertingentes & internum & externum. Ab ortu Rhenus, qui æquali à Pyrenæis montibus spatio, ad lineam distat. Ab aquilone & meridie sic iacet, ut ab septentrionalibus promontorijs Pyrenes inchoans oceanus ambiat, usque ad Rheni eruptiones, è regione autem Massiliense est ac Narbonense pelagus, subinde Alpes ab ora incipientes Ligustica, usque ad Rheni fontes. Cemmenus uero mons in Pyrenen, medios per campos recta perducitur, & in medio desinit prope Lugdunum ad stad. millia duo prolixus. Aquitanos igitur nuncupabant, qui ad septentrionalem Pyrenes partem, & Cemmenum habitant, usque ad oceanum & intra Garumnam fluuium. At Celtas qui ad alteram pertinent plagam, ad Massiliæ ac Narbonis mare, qui rupes Alpium aliqua ex parte attingunt. Belgas uero nominabant reliquos oceano confines usque ad ostia Rheni, & nonnullos Rheni & Alpium uicinos incolas. Sic nanque & diuus Cæsar in Commentarijs scriptum reliquit. At enim Cæsar Augustus quadripartitam partiens, Celtes quidem Narbonensis prouinciæ definit, Aquitanos uero, quos & ille sanè extollens, insuper decem adiecit gentes, ex ijs quæ inter Garumnam & Ligyrim fluuium colunt. Reliquam dupliciter partiuit, unam quidem Lugduno applicans, usque ad superiorem Rheni plagam, alteram uero Belgis. Quæcunque igitur secundum naturæ partes distincta sunt, orbis descriptori dicenda sunt, & quæ secundum gentium habitationes, & quicquid mentione dignum est. Quæcunque uero principes reipublicæ, temporibus obsequentes, uarijs modis instituunt, summatim commemorasse satis est. Diligentia tamen uero cæteris concedenda. Hæc igitur plaga omni ex parte fluuijs spargitur, cum alij ex Alpibus, alij ex Cemmeno, & Pyrenæo deferantur, nonnulli etiam in oceanum, aliqui in nostrum pelagus erumpant. Loca uero per quæ diffluunt, ut plurimum campestria sunt, tumulisque prædita, fluentisque nauigabilibus commoda. Sic autem naturæ bonitate, inuicem sese amnes habent, ut ab utroque in utrumque mare facile sarcinæ deportentur, pusillo terrestri itineris spatio, cum plurimum per amnes, aut aduersos subuehantur, aut se-

Gallia tripartita.

Aquitani.

Celta.  
Pyrenæi.

Rhenus.

Alpes.  
Cemmenus.

Lugdunum.  
Aquitani.  
Garumna.

Belgæ.

Cæsar's commentaria.

Ligyr.

ἡ τῶν ἀναβῶν  
ἀπὸ τοῦ πελάγους  
ἐπιπέσει.

a Alpes Pyrenæi  
Britannia quoque  
explicatur.